


IOAN. IAC. CHIFFLETII
DE MORTE
PRÆCELLENTIS VIRI
D. FRANCISCI DE PAZ
ARCHIATRI PRIMARII
EPISTOLA

Ad Amplissimum Doctissimumque virum
D. IOANNEM GALLEGO DE LA SERNA,
PHILIPPI IV. CATHOLICI REGIS
Archiatrum meritissimum.



ANTVERPIÆ,
EX OFFICINA PLANTINIANA
BALTHASARIS MORETI.
M. DC. XL.

IOANN. IAC. CHIFFLETTI

DE MORT

EXCELLENTIS VIRI

D. FRANCISCO DE PAZ

ARCHIATRI PRIMARI

EPISTOLA

AD ANTONIUM BOGHIUM

D. JOANNEM GALLES DE LA SERRA

PHILIPPUS IV. CATHOLICI REGIS

ARCHIATRI PRIMARI




ANTVERPIA

EX OFFICINA PLANTINIANA

BALTHASARIS MORETI

MDCXL



MPLISSIME DOMINE,

Iacturæ publicæ, nostrique priuati infortunij, tristis atque inuitus adsum nuntius: tamen quia proditus dolor leuamentum capit; apud Inclytum Virum iuuerit, & mei pectoris vulnus aperire, & simul sublatis amici virtutum commemoratione lenire inuistam ægritudinem. Quod toti Belgio, quod bonis omnibus luctuosissimum accidit; vixit Archiatrorum decus, FRANCISCUS DE PAZ, summis iuxta & infimis charissimus, atque, vt verbo dicam, incomparabilis. Ego præsertim, si tanti viri desiderio me moueri negem, cuius consuetudo cum propter eximiam doctrinam, tum propter morum suauitatem, usque à puero mihi fuit iucundissima, certè mentiar. Memini, & narrare ille solebat, cum primùm ineunte anno superioris sæculi nonagesimo sexto, per Sequanos, adeoque Metropolim Vesontionem, Serenissimus Archidux Albertus Cardinalis Belgium peteret, sese ædibus Patricij & Consularis Viri Ioannis Chiffletij parentis mei, summâ humanitate exceptum. Fortè octauum ætatis annum attigeram, cum me à parente optimo ad eum deductum, ita arctè complexus est, vt id eius necessitudinis, quæ postea inter nos fuit, non obscurum omen esset. Vnde cum liberos deceat, *Isocrates ad Demoni-*
ut cum.

ut bonorum & fortunarum, sic & amicitiae paternae esse heredes : posteaquàm mihi per tot annos cum eo salutis Principum cura commissa est, parentis loco eum habere cœpi. Sed parum esset, si nostræ tantùm coniuncti onis atque amicitiae ratio à me haberetur : tanti quippe ab omnibus æstimanda illius iactura est, ut vel eius absentiam veritus olim Albertus Belgarum Princeps, vinculis eum aureis retinere omni studio contenderit. PAZIVS tum nescio quo vehementiori patriæ reuiscendæ desiderio tenebatur : cùm seriò neganti veniam Alberto, *Quid si iam, inquit, in viuis esse desissem?* Tum ille ad eò maiestatis suæ retinens Princeps, & verborum parcus, subiecit : *Tametsi ita foret, vel ab ossibus tuis consilium exposcerem.* Dignum profectò (ita pij eius manes tranquillè quiescant) de PAZIO Alberti verbum. Quis enim vel ad tempus abeuntem dimisisset? Durum erat Principi, viro carere, cuius fidem pariter & doctrinam, iam inde ab adolescentiâ exploratam habuerat. Pace quippe Iuliâ, vnde ortus erat, Olissiponem profectus, tum primùm Alberto Lusitaniæ Pro-regi ministrare cœperat, annos tantùm natus duos & viginti. Exinde verò Margaritæ piissimæ Hispaniarum Reginae Archiater creatus, Alberto & Isabellæ Belgium petentibus, solius itineris comes datus est; eâ lege, ut Hispaniam quamprimùm repeteret. Rediit ergo; verùm, quâ erat in eum beneuolentiâ Serenissimus Albertus, temperare sibi non potuit,

quin

3

quin Mariæ Augustæ parentis suæ preces apud Regem adhiberet, vt charus acceptusque sibi P A Z I V S tertio redderetur. Tum demum Regij Archiatri dignitate auctus, in Belgium venit, numquam reuersurus; dignus vtique qui ab altero orbe accerferetur. Multarum in primis rerum vsum habebat, eamque sibi comparauerat Encyclopædiam; vt, præter eius quam profitebatur scientiæ cognitionem, exquisitæ insuper eruditionis specimen daret, & sic Principum animos studiæque in se conuerteret. Sæpè eum mirati sumus, post eos qui de Philosophicis & Medicis aliquid posteritati reliquerant, euolutos, Sanctorum Patrum commentariis perlegendis animum adiecisse: eo fructu, vt quâ erat tenaci memoriâ, plurima interdum, tum alibi, tum super mensam Principis, ad confirmandum quæ in familiari colloquio referret, venustè admodum interfereret. Illud, aiebat, Lactantij, istud Cypriani est: sed Augustinum maximè proferebat in medium, cuius aureum de Ciuitate Dei librum penitus edidicisse videbatur. Scientiis prætereà Theologicis, illis inquam, quæ in disceptationum acumine sitæ sunt, ita erat addictus; vt iis excutiendis, non vnâ horam singulis pænè diebus impenderet. Quid multa? artibus omnibus adeò fuit excultus, vt cum de quapiam sermo illi esset, nullam aliam callere videretur. Frustrâ igitur à Medicâ laudandum eum suscipiam: de quâ tam suaue erat eum Latinè disse-

*Epist. 13.
ad Paulin.*

rentem audire, ut, cum de morborum causis, signis, progressu, exitu, verba faceret; Coo nostro, τῷ Ἰατρῷ κορυφαίῳ, oracula proferenti, pronas aures commo-
dasse mihi viderer. Ceterum eam artem ingenuis, ut
par est, non plebeijs aut seruilibus animis dignam esse
sentiebat: deque eâ tam grauitè, tantâque sermonis
venustate loquebatur, ut interdum animum meum
subiret recordatio laudis illius, quam Hieronymus
olim Paulino tribuit, facilè nimirum eum loqui &
purè, sed facilitatem eius & puritatem prudentiâ esse
temperatam. Bibliothecam iterum atque iterum opti-
mis quibusque auctoribus instruxit; instructam verò
varijs Religiosis Ordinibus, & diuini verbi inter-
pretibus piâ magnificentiâ elargitus est. Ac primùm
quidem Patres Carmelitæ, qui celeberrimæ illius Hi-
spaniarum heroinæ Terefiæ disciplinam profitentur,
copiosam & integram suam librorum supellectilem,
beneficio illius possident; quin & luculentissima in hac
vrbe Soc. I E S V Bibliotheca, uti & Minoritarum,
semel atque iterum centena volumina, non ignobile
incrementum, ab eo accepit. Porro longus sum, si
pietatem, quam tum è libris, tum ex alijs Sapientiæ
fontibus hauserat, velim attexere. Matutinis horis
frustrâ alibi quàm in Templis eum te inuenturum spe-
rasses. Primùm in permagnificâ illâ Æde Soc. I E S V;
tum in D. Gudilæ, ad aram Eucharistiæ perpetuo cruo-
re rubentis, erat assiduus. Inde si quas alias Ædes sa-
cras

cras occurrentia Cælitum festa celebriores redderent, eò pariter summâ religione se conferebat. Pomeridianis verò, domi, vel cum Deo ipse, per eam quæ voce perficitur comprecationem, vel Deus cum illo inter facram lectionem loquebatur: nisi fortè aliquis diuini verbi præco eximius ad populum alicubi verba faceret: tum enim continuò ad concionem accurrere, & in eâ pendere ex ore dicentis spectabatur. Arridebant illi præ ceteris, qui heroicâ eloquentiâ pollebant, & quam olim Olisipone in Ludouico Granatensi se suspexisse non sine gaudio commemorabat. Rerum insuper diuinarum studiis, ipsa solidæ virtutis opera, cuiusmodi à viro perfectis primæuæ Ecclesiæ Fidelibus non dispari optasses, adiecit. Quantâ enim curâ, quàm frequenter ad Augustissimum Diuinum-que Christi conuiuium accedebat? Sabbatinis quibusque diebus, & intercurrentibus Diuorum festis, frequens in Templo Societatis I E S V cælestes Agni Epulas regustabat, tantâ inter orandum attentione animi, ita defixis in terram obtutibus, vt religiosissimum Cœnobitam modestiâ suâ æquaret. Ita in Deum pius, in alios quoque non esse ἐλεῆμων non potuit: pauperum greges, P A Z I O de more sacras Ædes obeunti, tamquam patri assurgentes intueri licebat: qui mox, haud secus ac populus olim Romanus missilibus Consulium, largâ ipsi stipe recreabantur. Verùm hæc testari vniuersi, adeoque vrbis compita poterunt: ar-

cánas autem illas, quas crebrò impertiebatur, non iam singulorum nummorum, sed numerosæ pecuniæ largitiones, soli propemodum Religiosi norunt, qui rei domesticæ angustiis pressos, & tamen ingenuo pudore inopiam suam dissimulare cupientes, P A Z I I nostri ære subleuabant. Ad quos ille, cùm gratiam ob acceptum pro aliis beneficium referrent; *Quin*, inquebat, *ingentes vobis gratias agere debeo, quòd vel egentes indicare mihi dignemini.* Fuit cùm duodenos in publico nosocomio ægros, liberalitate suâ, omni obsequio refoueret. Verùm quoniam id à conscientia moderatoribus haud ita probaretur, cùm nosocomij latifundia ægrorum curationi abundè paria essent; deinceps nihil antiquius habuit, quàm vt vel virginibus elocandis dotem, orphanis verò ad artes ediscendas mercedem præstaret; vel viduarum solitudinem, aut militum egeniorum angustias largâ profusione subleuaret; vel denique obæeratorum, in ergastulis, æs alienum compe-desq̃ue dissolueret. Dicam amplius; haud satis illi fuisse extraneis subuenire. Præter eos namque, quos è natali solo, bellorum calamitate expulsos, in familiam assumpserat; partem ædium suarum quæ cœnaculo subiecta est, pauperibus attribuit: vt sic meritò dubitares, Christine ipse, an Christus ipsius inquilinus esset. Denique ne fortè cuiquam prolixæ eius liberalitatis opera damnare veniret in mentem, dicere erat solitus, *Benè sit, benè, inquam, liberis meis, quibus Valentia*
abundè

abundè omnia suppetunt. Quod ad me attinet, ea quæ hîc ab Rege stipendia percipio, dum vixero, pauperibus mihiq̃ue deinceps erunt communia.

Liceat ergo, vir Amplissime, liceat in has D. Hieronymi voces prorumpere: *Felix & omni dignus beatitudine, quem senectus Christo occupat seruientem, quem extrema dies Saluatori inuenerit militantem, qui non confundetur cùm loquetur inimicis suis in portâ.* Prorsus nemo erit qui P A Z I V M in ipso vitæ exitu imminentis mortis formidine territum existimet; cuius noxas (quæ non nisi leuissimæ, vt in viro innocentissimo, esse poterant) illi tam latè manantis misericordiæ riui abundè diluerint. Mors illi non iam nouerca, sed mater erat: vtpote cui eius memoriam, siue scriberet, siue legeret, positæ ob oculos talis argumenti imagines refricabant. De eâ cum Deo, cum aliis frequens loquebatur; & vti Plato Philosophiam, ita ille Christianorum vitam, meditationem mortis esse censebat. Id autem nunquam aliàs magis, quàm piâ consuetudine testatus est, quâ solenne illi erat Sacro interesse primo quoque die Lunæ mensis cuiuslibet, quod accepti beneficii nomine, in eius gratiam, Carmelitæ viri Religiosissimi, quotidie ex pacto institutionis faciebant. Ibi *Franciscum Dei famulum*, se inquam, velut iam piacularibus flammis detentum, Sacerdotis ad Aram facientis voce, Deo commendabat. Tandem pro familiaritate quæ illi cum morte pridem intercedebat, non molestâ eum,

aut

*Epist. ad
Iulianum.*

aut prolixâ morbi vexatione, sed radijs solaribus, velut aureis telis, blandè oppressit. Mos illi erat feruenti soli nudum canumque verticem obijcere: & complures annos, contrâ quàm aliis accideret, feliciter illi cessèrat; donec tandem x. Kal. Nouembris, remisso solis calore, humores liquefacti, & mox è capite in pectus copiosè defluentes, immisso primùm sopore, deinde intercluso spiritu, sodalium & amicorum remedia vicerunt. Triduo pòst intra octogesimum ætatis annum (quem luce magno Martyri Sebastiano sacrâ, erat completurus) solennibus Confessionis, Eucharistiæ, & Vnctionis extremæ præfidiis communitus, piam animam placidè efflauit; longiore adhuc vitâ dignus, è quâ annos septem & quinquaginta Principum Austriacorum obsequio impenderat. Hodie paulò ante meridiem, eum, vti viuens optauerat, D. Francisci habitu, seu Minoritarum sacco amictum, quàm fieri potuit honorificentissimè, ad Carmelitarum Ædem extulimus; non magis vniuersæ Aulæ splendore, quæ præsentia suâ funus condecorabat, quàm quadringentis plùs minùs egenis conspicuum. Quemadmodum verò nihil ad magnificentiam defuit, ita tantum taleque in omnium animis sui reliquit desiderium, vt ipsemet Dominus meus, Serenissimus Infans FERDINANDVS, virtutis iuxtâ & eruditionis peritus æstimator, tanti viri memoriam dignis elogiis prosequi dignatus sit.

Iam

Iam verò, Vir Amplissime, gratulor ex animo, delatam tibi non tam ordine successionis, quàm meriti prærogatiuâ, dignitatem. Facit eruditio tua singularis, conscriptis & emissis in lucem Operibus orbi testatissima, ut quàm ardentissimè diuturnam tibi felicemque senectutem omnes apprecentur. Nimirum, ut antehac strenuè fecisti, ita deinceps, Vir Eruditissime, facere perge, ut, quemadmodum officio, sic peritiâ ac nauitate primus, PHILIPPVM IV. Regem nostrum Maximum, diutissimè incolumem præstes : atque ita non capitis tantùm, sed vniuersi corporis salutem tue-ri, adeoque Christiani orbis mœrorem morbumque auertere videaris. Ego, quod mei muneris est, pro eâ quæ mihi tecum intercedere debet coniunctio, cum secundùm te, in obsequio Regis, antiquitatis ordine primarium locum obtineam, prospera omnia, felicia, denique Archiatrorum Apice digna voueo. Bruxellæ
IV. Kalend. Nouembris M. DC. XL.

Imprimi meretur Epistola, ut Viri magni virtutes & merita innotescant.

Gaspar Estrix, Plebanus, Canonicus,
& librorum Censor.